Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2967
Quelle:
Copyright:

tur Librarius, quae ceterum a *Sequentiis* incipiendo ubique adjectae sunt.

IV. *fol.* 61. p. 2. pereleganti manu sequitur: *Collectio Amalarii Uiri Doctissimi De Ordine Romano. Qui Uocatur Liber Officialis.* Noli tamen hic expectare Collectionem integram IV. *Libris* constantem, prout habetur in *Hittorpii* Sylloge, *Colon.* 1568. p. 101. f. et in *Bibl. PP. Lugd.* T. XIV. p. 934. *Amalarius Symphosius*, non *Fortunatus*, neque Archiep. *Trevirensis*, sed Diaconus aut Presbyter *Metensis*, ut post *Sirmondi* ad *Constant. Cajetanum* epistolam *Opp.* T. IV. *Paris.* 1696. *col.* 641. f. sentiunt Eruditi, bis collectionem suam publicavit; primo quidem an. 820. inscriptam *Ludovico Pio* Imp. dein post iter *Romam* an. 827. susceptum, qua occasione alterum ei praefixit *Prologum.* Atque is in *Cod.* praesenti legitur hoc initio: *Postquam scripsi libellum qui a mea paruitate uocatur de ecclesiastico officio. ueni romam* &c. Extat apud *Hittorp. cit.* p. 102. Ultima tamen utrinque discrepant; Noster enim finit: *hec sunt que a romana sede accepi*; apud *Hittorp.* quaedam adjecta sunt, quae, an genuina sint, dubito. Prologum excipit inscriptio: *De Obseruatione Dierum per Annum et Recapitulatio.* Re ipsa Libri IV. C. 37. quod incipit: *Vbi sanctus hieronimus exponit illud ad Galathas* &c. sed in *Cod.* abruptum ad verba: *quem tenebat populus qui ei tunc notus erat.* Vides, quam parum de toto *Amalario* transcribere placuerit Librario nostro. Itaque nimium ne fide colori Titulorum.

V. *fol.* 65. p. 2. *Incipit Martyrologium Bede Presbyteri.* Non magis *Bedae*, quam cujusvis ex Antiquis; immo *Kalendarium* potius nudis nominibus constans, nisi quod Pontificibus *Rom.* aliquid gestorum adscribatur. *Notae astronomicae* consuetae minio exaratae sunt. In fronte cujusque mensis *Versus* III. quorum primus *astronomicus*, alter *medicus*, tertius *oeconomicus* est. Ita *Januarius:*

Principium Jani sancti tropicus capricornus.
Jani prima dies et septima fine timetur.
En Janus palmas uelut ignibus applicat ambas.

Quorundam SS. Nomina serius addita, maxime Paparum. Ita *Telesphorus* ad diem IV. *Non. Jan.* pro *Non.* Inscripta et Mortuorum Nomina, quorum notiora haec sunt: XVII. kal. Febr. *Rato abbas.* IX. kal. Febr. *Hazacha comes.* III. kal. Febr. *Adalpertus comes.* XVI. kal. Mart. *Adalbero IV. babenberg. ep.* an. 1060. VII. kal. Mart. *Beatrix mater Adalberonis ep.* V. Non. Mart. *Chunigunda imperatrix.* an. 1040. VI. kal. April. *Heimo ep.* Halberstadiensis nempe an. 853. II. kal. Maj. *Arnoldus vuarmociensis*